Quelle:
Copyright:

XII Prophetae minores cum glossa ord. Walafr. Strabi et interlineari Anselmi Laudunensis.

A. f. 12.

Cod. XII. deest

membran. Fol.

Constans 90 foliis, venustissimo characere Scriptus, nec non literis initialibus vario colore pictis, ac imaginibus duodecim, quae prima litera cujusque libri inserta sunt, auro variegatis conspicuus. Continet duodecim Prophetas minores, eodem ordine, quo colo-cantur apud Hebraeos, etsi translatio sit ex interpretatione LXX. Incipit a prologo S. Hieronymi in librum duodecim Prophetarum: "Non idem est ordo duodecim Prophetarum apud Hebraeos". Hunc excipit Prologus ejusdem in Prophet. Osee: "Temporibus Ozie, et joathe, achaz et". Prior habet glossam collateralem. Pagina aversa post medium incipit Prophetia Osee cum glossa ordinaria collaterali Walafridi Strabonis seu Strabi, et interlineari Anselmi Laudunensis, ita tamen, ut neutra sit integra, sed quantum proxima membrana spatium admitteret. Hoc forma servatur per omnes Prophetias, quae integre in nostro codice habentur, exceptis paucis verbis, quae ad calcem Prophetiae Malachiae in versu penultimo et finali deficiunt. Terminatur enim textus Prophetae: "Ecce ego mittam vo", et glossa: "ad instructionem posterorum de fide". Unde patet folium codicis nostri ultimum deesse. Coterum satis mirari nequeo, utramque hanc glossam adhuc pro Postilla Nicolai de Lyra fuisse habitam, cum instituta collatio protinus contrarium docuisset. Confer: Biblia sacra latina cum Postillis Nic. de Lyra (a), et Biblia sacra lat. cum glossa ord. Walafr. Strabonis, et interlin. Anselm. Laud. (b)

A
(a) 2. 14 – 17

A
(b) f. 10 – 16.

Walafridus Strabo, v. Strabus nat. germ. ord. S. Benedin monast. Fuldensi professus, ad S. Gallum decanus, ao 842. Augia majoris Abbas, Rhabani Mauri discipulus, glossae ordinariae auctor, quam ex Rhabani Commentariis et SS. PP. Scriptis collegit, obiit 849. pro saeculi sui modulo sacris scientiis clarus. Vid. Histoire de la France, T. 5. pag. 59 – 76.

Anselmus Laudunensis, et ipse Benedictinus glossae brevioris Auctor celebratur, ideo interlinearis dictae cum inter S. Textus lineas locata sit. Obiit 1117. v. 18. vid. Fabr. Bibl. med. et inf. Lat. T. I. p. 114. item de meritis ejus in rem litt. Histoire de la France T. 9.